



£6c. 73.

29

ORATIONEM  
EX  
INSTITVTO LYNCKERIANO  
IN ACADEMIA IENENSI  
HABENDAM  
INDICIT  
IO. ERNESTVS IMMAN. WALCHIVS

ELOQVENTIAE ET POES. PROF. PVEL. ORDIN. SOCIETATIS  
LATINAE DIRECTOR



\*\*\*\*\*

IENAE

TYPIS VIDVAE b. MARGGRAFIL.

O R A T I O N E  
EX  
I N S T I T U T O L Y N C K E R I V I N O  
I N A C A D E M I A I E N N E S I  
H A B I B N D A M A  
I N D I C I T  
O F F I C I A L I T A T E S I M M A N N W A L C H I N D E

REINHOLDUS. 1750. 1751. 1752. 1753. 1754. 1755.

LIBRARIUS. 1756. 1757.

I E N N E S I

M A I N Z E M A I 1 7 5 4 . 1 7 5 5 .



**G**vi graeci vocabuli *σύμβολον* in coetibus christianorum vsum ostendere, et, quare professionibus fidei id nominis datum olim fuerit, explorare, adgressi sunt, hi ex Graeciae potissimum populorum moribus et institutis ad expediendam hanc quaestionem haud parum exspectandum esse subsidii, probe animaduenterunt: verum, si de diuersa significandi vi, quae huic vocabulo subiecta est, tum de eo potissimum quaeritur, quaenam ex illis praecipuam dederit occasionem, hoc vocabulum ad christianorum sacra, ad salutaris in primis doctrinae capita traducendi, haud vnam ea de re sententiam fouere solent istius modi rerum scriptores. Sunt enim, qui, hanc appellandi rationem a symbolis repetendam esse, opinantur, quibus usae olim fuerint sacrae quaedam graecorum sodalitates. Alii in symbolis huius gentis militaribus reperiisse aliquid sibi visi sunt, vnde propter aliquam similitudinem ratio reddi queat huius vocabuli, in christianorum coetibus recepti, ad denotandam de rebus diuinis doctrinam, quam quisque illorum amplectatur.

\* 2

tur.



tur. Ac de vtraque hac sententia copiosius alio nos diximus tempore, quum orationibus sollemnibus, ex LY NCKERIANO instituto in hac academia habendis, more consueto nobis esset praefandum. Iam vero alia accedit sententia, a qua ipsi nonnulli veteres scriptores haud prorsus sunt alieni, sic profecto comparata, vt aliquid poscere lucis videatur ex antiquitatibus, ad illustrandam symboli apostolici historiam. Eo vero redit illorum sententia. In vsu olim fuisse, aiunt, conuiuii genus, ad quod quisque conuiuarum suam adulterit συμβολὴν, collationem: eamdem rationem fuisse symboli apostolici: contulisse ad hanc fidei christiana professionem quemque Christi legatorum aliquod quasi dogma, quod, iunctum cum reliquis, postea constituerit satis perulgatam illam doctrinae apostolicae ἐπιτομὴν, quae vulgo *symbolum apostolicum* dicatur. Sic statuisse nonnullos, ex RUFINO a) haud obscure colligitur. *Symbolum*, is inquit, *graece dici potest collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt, id enim fecerunt apostoli in his sermonibus, in unum conferendo, quod unusquisque sensit.* Quo et referri posse videntur verba CASSIANI b): *Symbolum ex collatione nomen accepit. Collatio autem ideo, quia in unum ab apostolis domini quicquid per uniuersum diuinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in symboli colligunt breuitate.* Ac hi quidem esse aliquam existimant similitudinem symboli huius et symbolorum illorum seu *collationum*, vnde illud, de quo supra diximus, conuiuii genus adparatum olim fuerit. Itaque de *symbolis veterum graecorum conuiualibus* nonnulla in praesenti adferemus, de romanorum haud dissimili instituto alio tempore dicendi nobis erit occasio.

FVIT olim haec in Graecia consuetudo, vt amici, animum iunctim exhilaraturi, comune quoddam conuiuum ὀπὸ κοινῆ instituerent, ad quod quisque conuiuarum suam συμβολὴν ad instruendum adparandumque tale conuiuum conferre deberet. Consuetudo

a) exposit. in symb. apost. S. II. p. b) de incarnat. dom. lib. V. p. 565. 1272.

A

tudo profecto antiquissima, ab HOMERI ducta temporibus, cuius verba c):

τὶς δαῖς, τὶς δὲ ὄμιλος ὅδος ἐπλεό; τίπει δὲ σε χρέω,  
εἰλαπίν, ηὲ γάμος; ἐπεὶ εὐ ἔρανος τὰς γ' ἐσὶν.

ATHENAEVS d) illustraturus, et, quod vocabulorum δαῖς, ἔρανος et εἰλαπίν discrimen sit, ostensurus, ἔρανος fuisse, ait, τὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγας, hominum ad epulas, collata pecunia celebrandas, institutos conuentus, dictos ἀπὸ τῆς συνεργανήσης την παραδέσην ἔρανον, ab eo, quod quisque ad eiusmodi epulas suam partem, siue τὸ ἐπιβάλλον ἔαντο, vt HARPOCRATION e) ait, conferat, ἔρανισας vero vocatos esse, qui iunctim eiusmodi conuiuum instituerent. Quem quidem conuiandi morem tam graeci firmiter tamque constanter tenuere, vt ad GELLI f) vsque aetatem Athenis traduceretur, qui se et alios, ad Taurum philosophum Atheniensem inuitatos, ne immunes et asymboli venirent, coniectasse, narrat, non cupedias ciborum, id est, non symbolas consuetas, sed argutias quaestionum. Ac horum quidem conuiuiorum duplex olim fuit genus, alterum aere a conuiuis collato, alterum ex cibis paratum et instructum, quos quilibet secum ad coenaculum asportauerat. Quae quidem fundamento suo haud carent, si veterum scriptorum ea de re verba curatiis expenduntur. Quum enim omne id, quod quisque ad eiusmodi epulas conferebat, siue pecunia esset, siue cibi genus, συμβολὴ ἀπλῶς vocaretur, quum porro tale conuiuum, quod numerata pecunia aequa ac illud, quod cibis congestis ornari et adaptari solebat, communis vocabulo ἔρανος diceretur, quum porro rationem τῆς συμβολῆς conuiualis aequa ac τῇ ἔρανῳ sic describunt veteres, vt utroque vocabulo duplex aliquod conuiuii genus comprehensum olim fuisse, videatur, facile nos et satis manifeste ex hoc

\* 3

vtrius-

e) odys. I. v. 225.

d) diplosoph. lib. VIII. cap. 16. p. 362.

e) lexic. p. 24.

f) libr. VI. noctium Atticar. cap. 13. p. 364. ed. GRONOVII.



vtriusque conuiuii et modum, et discrimen colligi posse, arbitramur. Dicemus primum de ἐράνῳ eiusque rationem explicabimus. Vocabulum ipsum, vt ex veterum scriptorum, DEMOSTHENIS in primis, LYSIAE, ISOCRATIS, LIBANII aliorumque testimonii, tum ex antiquis lexicorum auctoribus, HARPOCRATIONE, IVL. POLLVCE et SVIDA constat <sup>g)</sup>, primum quoduis collectae inter amicos genus designavit, siue illa ad subleuandam aliorum inopiam, siue alias qb caussas institueretur; deinde vero eius usus transiit in primis ad conuiua illa, communi sumtu facta, de quibus adhuc loquuti sumus. Prius τὸ ἐράνῳ genus munus fuit et onus, posteriorius voluptatis potissimum et animi exhilarandi caussa institutum est. De illo intelligenda sunt, quae ad haec ARISTOPHANIS <sup>b)</sup> verba:

οἵς υπὲρ ἐράνῳ τε καὶ χρεῶν πρώην ποτὲ<sup>a)</sup>  
ἀπαντεῖ, ἐξίσω παρήνει οἱ Φίλοι.

scholiaстes commentatur: ἔθος εἶχον τέλεσμά τι εἰς τὸ κοινὸν διδόναι, ὅπερ  
οἱ μὴ διδόντες καὶ αἴτιοι ἐνομίζοντο καὶ μᾶλι βίᾳς ἀπῆλθο, tum ea, quae ex  
antiquo de comparatione diuinarum et virtutis scriptore, TELES  
ipſi nomen fuit, adtulit STOBAEVUS <sup>bb)</sup>. Ac huius quidem ἐράνῳ,  
quod

<sup>a)</sup> veterum scriptorum effata, quibus  
vocabulo ἐράνος modo haec, modo  
alia significandi potestas tributa est,  
nolumus ex aliis, qui hoc labore  
iam perfuncti sunt, conscribere. Qui  
scire et legere illa cupit, adeat VA-  
LENTIVM ad Harpocrat. p. 32. 87. et  
114. CHRISTIANIVM ad Aristophanis  
Lystrat. v. 052. p. 230. DVPORTVM  
ad Theophrastum charact. cap. I.  
CASAVBONVM ad eund. cap. XV. FI-  
SCHERVUM ad eund. cap. I. RIGAL-  
TIVM ad Artemidorum p. 8. HE-  
bb) ferm. XXII.

RALDVM obseruat. et emend. cap. 43.  
sq. SALMASIVM obs. ad ius Attic. et  
Rom. cap. I. sq. et libr. de usur. cap.  
3. FABROTVM refut. epist. Salmasi  
de mutuo, tom. III. ebes. iur. rom.  
p. 1353. SPANHEMIVM ad Callim.  
p. 706. interpretes POLLVCIS ono-  
maст. libr. VIII. cap. 13. p. 967. ed.  
HEMSTERHVIII, ALBERTI ad Hesy-  
chium, p. 1415.  
b) acharn. v. 615. p. 257. edit. KY-  
STERI.

quod muneris loco dari colligique solebat, itidem duo fuerunt genera, alterum voluntarium, quo amici amico inopia laboranti opem tulerunt *i*), alterum quod lege publica aut sodalitii iure, quo quis plerumque mense *k*) vel statore tempore, *καὶ τὴν τῆς περόδια τάξιν, ut HARPOCRATION* *l*) ait, cum egestatis subleuanda cauilla, tum ad alios usus *m*) praestandum fuit, instituta collecta, cuius praefectus *ἱεράρχης* apud ARTEMIDORVM *n*) dicitur. Ab his *ἱεράρχοις* diversi erant *ἱεράρχοι* coniuiales, quos scholia et lexicographi veteres, in illis interpres HOMERI *o*) et ARISTOPHANIS *p*), in his HESYCHIVS, SVIDAS, HARPOCRATION et POLLUX ad unum omnes dicunt fuisse δέπτνα ἐκ συμβολῆς, τὰς ἐκ κοινῆς ἐπιστεις, δέπτνα ἀνὰ μέρους, τὰς ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς καὶ διπάνης πολλῶν τινῶν γνωμένας ἐνωχίας etc. ATHENAEVS *q*) ἑράντις dicit τὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων ἐπαγγωγάς, illosque addit sic vocatos esse ἀπὸ τῆς συνεργᾶν, quod, quid sit, cognatum vocabulum ἐξεργᾶν, apud oratores graecos haud infrequens, declarare videtur, quibus ἐξεργᾶν idem est ac *eūicere* latinorum, vnde τῇ συνεργᾶν coniuciendi notionem subiectam fuisse, facilis conjectura diuinare licet. *Εἰσαγωγὰς* vocat Athenaeus *ἱεράρχοις*, pro quo legendum forte esse *συναγωγὰς*, suspicatus est CASAVBO-  
NVS

*i)* unde SVIDAS p. 849. τὰ *ἱεράρχα* sunt δῶρα τὰ ἐκ συλλογῆς eidemque et HESYCHIO *ἱεράρχοις*, δῶρον ἐκ συνεργᾶς, et *ἱεράρχος* THEOPHRASTO eleemosynae genus. Vide eius *characteres* cap. XV. XXII. et XXIII. Hoc voluntarium *ἱεράρχης* genus ad elegantissimam metaphoram transfert THVCYDIDES libr. II. cap. 44. p. 124.

*k)* *ἱεράρχης* μηδὲ SVIDAS diserte ait voc. *ἱερανισάμενος*.

*l)* lexico p. 24.

*m)* videatur SVIDAS VOC. *ἱεράρχος πατέως* tom. I. p. 894. edit. KVSTERI.


*n)* ὄντερονεζ. lib. I. cap. 18. Tale *ἱεράρχης* genus etiam apud veteres christianos

in usu fuit, quod PLINIVS docet libr. X. epist. 97. et TERTULLIANVS *apolog.* cap. 39. Solebant etiam postea tenuissimae fortunae homines sodalitii *ἱεραρχίας* genus inter se contrahere, opeque eiusmodi *ἱεράρχης* communis victu frui. Patet id ex CHRYSOSTOMO homil. XI. *ad pop. Antioch.* p. 153. "Ἄλογοι *ἱεραρχίας* fuerunt, qui ad *ἱεράρχοις* non soluebant, quod solvere promiserant. Vid. HARPOCRATION p. 24.

*o)* Odyss. A. v. 226. Odyss. A. 414.

*p)* Lyfisirat. v. 652. p. 556.

*q)* dipnosoph. libr. VIII. cap. 16.



NVS r), maxime quod ATHENAEVS paullo infra τὸ συνάγειν αὐτὸν συμβόλων aliquoties usurpauit. Verum obstat codicum consensus, uno quasi ore ἐσαγωγὰς legentium, tum et EVSTATHII s) auctoritas, quem ATHENAEI t) locum tum, quum τὰς αὐτὰς τῶν συμβαλλομένων ἐσαγωγὰς esse scriberet περίφρασιν vocabulorum αἱ συμβολαὶ et αἱ συμποσιαὶ δηλαδὴ, ante oculos habuisse, ipsa verborum συνάφεια et omnes rationes ostendunt. Idem confirmat scholiastes ARISTOPHANIS, qui ad poetae sui verba u):

τὸ δέκατον γάρ τοι μέτρον - - -

itidem ATHENAEVM legisse inque mente habuisse videtur. Is vero, ἀλλαχὲ, inquit, ἔρανος καλεῖται οὐδὲ τῶν συμβαλλομένων ἐσαγωγὴ, tum addit, ἔτιν συναγωγὴ, haud obscure, ni fallimur, indicio, binis his vocabulis ἐσαγωγὴ καὶ συναγωγὴ interdum eamdem significandi vim olim datam fuisse. Iam vero, quid illud sit, quod veteres τὴν αὐτὰς τῶν συμβαλλομένων ἐσαγωγὴν dixerent, idem iste scholiastes docet, si verborum, quae ex ipso dedimus, cum antecedentibus συνάφειαν curate expendimus. ἔρανος, inquit, οὐδὲ τοις συμβολής καὶ δεπάνης πολλών τινῶν γνομένη ἐνωχία. ἀλλαχὲ ἔρανος καλεῖται οὐδὲ τῶν συμβαλλομένων ἐσαγωγὴ, ex quibus verbis duplex illud ἔρανος genus, alterum quod aere, alterum quod cibo collato institutum fuit, haud obscure cognoscitur. Aper- te enim distinguit τὴν αὐτὰς κοινής συμβολῆς καὶ δεπάνης γνομένην ἐνωχίαν ab ea, quam τὰς αὐτὰς τῶν συμβαλλομένων ἐσαγωγὴν appellat. Per illam, ut omnes rationes ostendunt, conuiuum intelligit, quod, collato aere, communi inter conuiuas et aequa parte distributo sumtu, per hanc id, quod congestis a quolibet conuiuarum cibis instructum fuit. Vnde egregie illustrari possunt verba HESYCHII x): ἔρανον -- οὐδὲ μέρες δεπάνον, οὐδὲ συμβολής δεπάνον, in quibus, quis non videt, duplex ἔρανος genus a se inuicem distingui, ἔρανος enim esse aut coenam οὐδὲ μέρες, aut coenam οὐδὲ συμβολής, illam, ad quam quisque aliquam

r) animaduers. in Athen. p. 630.

w) Lyßbr. v. 652. p. 556.

s) ad HOMERI Odyss. A. v. 225.

x) p. 1415. edit. ALBERTI.

t) libr. VIII. dipnor. cap. 16.

aliquam partem, id est, cibi aliquod genus, secum adulterit, hanc, ad quam *collatio*, pecuniae nempe, sic enim hoc loco *συμβολὴ* interpretanda est, facta a conuiuis fuerit. Haec quum ita sint, facile iam erit perspicere, quid δέπνον graecorum συναγωγίμων fuerit, cuius veteres poetae aliquoties mentionem fecerunt. Ipse **A**THE<sup>N</sup>AEVS<sup>y</sup>) hanc quaestionem in medium adduxit, et ad **A**LEXIN AC **E**PHIPPVM prouocauit, quorum ille in φιλοκαλῷ, hic in Geryone suo de hoc conuiui genere cecinit. Putat vero **A**THE<sup>N</sup>AEVS, vt ex eius verbis haud obscure colligitur, in δέπνῳ συναγωγίμῳ adlatos esse cibos iam paratos, non, vt in aliis, pecuniam pro coquo, qui pararet. Prouocat enim non solum ad alium apud **A**LEXIN locum: ἦξω, φέρεσθα συμβολὰς τοῖνυν ἀμά-  
veniam, et mecum adducam simul symbolas, sed etiam, ne quis forte per symbolas pecuniae partem intelligat, apud Archiuos, ait, συμβολὴν etiam in συμποσίοις, in compotationibus, vsu receptam fuisse, ad quas olim non vina, sed pecuniam ad cellas vinarias secum adulterunt compotores.

**H**AEC de δέπνῳ. Id quod ad hunc instruendum conferri a quoquis conuiua solebat, *συμβολὴ* dicebatur, siue de pecunia ad praeparandas epulas, siue de cibi genere, quod quisque adferret, pactum antea esset. **E**VSTATIVS z) posterius *συμβολῆς* genus, quod in rebus cibariis positum fuit, in mente videtur habuisse, quum τὰς αἰτὸν τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγὰς scriberet esse

y) libr. VIII. cap. 16.

\*\*

z) ad Iliad. A. v. 225.

¶

περίφρασιν τῆς αἱ συμβολαῖς. Prioris vero generis, siue συμβολῆς num-  
mariae, DIPHILVS poeta apud ATHENAEVM a) fecit mentionem.  
Cuius verba etsi obscuritate laborare neque ab omni libra-  
riorum vitio immunia haud immerito visa sunt CASAVBONO b),  
hoc tamen luculenter declarant, solitos fuisse iuuenes cum coquo  
de eiusmodi conuiuio communi pacisci, eiusque adparatum ipsi  
numerata pecunia committere. Ac id quidem ex poeta haud ob-  
scure patere, ipse CASAVBONVS vidit, quum mentem poetae,  
quantum ex eius verbis certo cognoscere licet, per περίφρασιν  
hoc fere modo exprimere studuit: *ait apud poetam coquus,*  
*si qui adolescentes, cupientes ex symbolis una esse, coēant, et pecunia,*  
*vel annulo, vel alia qua re, loco pignoris in vas aliquod coniecta,*  
*eant deinde per forum et clament: quis est, qui tenuem coenam para-*  
*re velit: ego istos clamare sino, neque iis operam meam loco.* Quae  
omnia utcunque se haboant, ex iis, quac iam de συμβολαῖς dixi-  
mus, hoc est certissimum, et RVFINVM et CASSIANVM c) osci-  
tantia lapsos esse, quod a collatione siue ἀπὸ τῆς συμβολῆς symboli  
apostolici nomen deducendum esse, existimarunt. In mentem  
enim ipsis discrimen illud merito venire debebat, quod veteres  
graeci inter τὴν συμβολὴν et τὸ σύμβολον fecerunt. Quod vt eo me-  
lius intelligatur, hoc potissimum tenendum est. Si conuiuium  
tale aere conferendo, sed nondum adhuc collato, adparandum erat,

sole-

a) libr. VII. diploj. cap. II. pag. 297.

c) locis supra memoratis.

b) animadu. in Athen. p. 520.

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

solebant illi, qui συμβολὴν conferre promiserant, ne promissis fides deesset, illi conuiuae, cui epularum adparatus commissus fuerat, pignoris loco aliquid, in primis vero annulum, dare. Id pignus, siue annulus esset, siue alia res quantius pretii, vocabatur σύμβολον, quod reddebatur, data συμβολῇ d). Σύμβολον igitur pignus fuit τῆς συμβολῆς siue *collationis*, ad conuiuum adparandum praestandae, symbolum vero apostolicum non, ut Rufinus et Cassianus credunt, a *collatione* siue ἀπὸ τῆς συμβολῆς, sed a vocabulo σύμβολον nomen suum accepit.

HAEC boni ominis caussa orationi praefati sumus, quam  
d. xxv. iun. hora antemeridiana vndeclima in templo academico  
habebit prae nobilissimus ac doctissimus IOANNES CASPARVS  
GEORGIVS MARGGRAFIVS, Jenensis, reuerendi ministerii can-  
didatus dignissimus. Demonstrabit vobis, OPTIMI CIVES,

*efficaciam supernaturalem doctrinarum, quas augustana  
confessio defendit.*

Ad huius libri symbolici memoriam, in academia nostra sanctissime colendam, totum hoc sollempne sacrum ex instituto per illustris ac celeberrimi viri, liberi baronis NICOLAI CHRISTOPHORI de LYNCKER peragetur. Ad quam orationem au-

dien-

d) videatur TABERMANNVS not. ad Plaut. Aiben. p. 224.  
p. 957. et CASAVBONVS animadu. in



diendam ut magnificus academiae rector, illustrissimus sacri romani imperii comes, venerandi patres et reliqui academiae huius doctores, tum cuncti ciues litterati, nostrae omnium deliciae, ad tempus praestitutum se in templum academicum conferant et oratori nostro faueant, perquam officiose et humaniter  
rogo. P. P. d. XXIII. iun. anno CCCC LXV.







Skore-Biba 8/~~K~~57.

76 4898

f

ULB Halle  
003 507 459

3



56.

ND18

N.C.


retro



**Farbkarte #13**

*B.I.G.*

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	---------	-------	---------	-----	--------	-------	------	------



29  
**R A T I O N E M**  
EX  
**VTO LYNCKERIANO**  
**CADEMIA IENENSI**  
HABENDAM  
INDICIT  
**ESTVS IMMAN. WALCHIVS**

IAE ET POES. PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETATIS

LATINAE DIRECTOR



IENAE  
VIDVÆ b. MARGGRAFIL.